

Π u  
379









PK. VI, 32.

AUSPICE CHRISTO!

DISSERTATIO MEDI

De

ACIDULLIS,

P R Æ S I D E

GEORGIO WOLFF.

GANGO WEDELIO,

Med. Doctore, Sacr. Palatii Cæsar. Comite,

Consiliario & Archiatro Ducali Saxonico, & Theoretices  
Professore Publico Ordinario,

*Patrono, Præceptore ac Promotore suo*

*debito honoris cultu aeternum prosequendo,*

*Ad d. Januar. M DC XCV.*

H. L. Q. C.

*publica disquisitioni subjecta*

FRIDERICO GVILIELMO DE RHODA,

Svvinburgo - Milnico.

F E N Æ,

LITERIS KREBSIANIS.

II u  
379



SERENISSIMO  
PRINCIPI AC DOMINO,  
DOMINO  
JOHANNI  
ADOLPHO,  
DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLI-  
VIÆ, MONTIVM, ANGARIÆ ET VVESTPHALIÆ,  
LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARGGRAVIO MISNIÆ,  
ET VTRIVSQVE LVSATIÆ, PRINCIPALI DIGNITATE COMITI  
HENNEBERGÆ, COMITI MARCÆ, RAVENSBERGÆ  
ET BARBY, DYNASTÆ IN RAVEN-

STEIN,

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO,

*Dissertationem hanc Medicam,  
eâ, quâ decet, submissæ mentis declaratione,*


STRENÆ LOCO

*offert & consecrat*

SERENITATIS SVÆ

Cliens subjectissimus

FRIDERICVS VVILHELMVS  
de Rhoda.







## PROOEMIUM.

**N**on immeritò *Pindarus* δεῖστον ὕδωρ  
*optimum esse aquam canit*, complexus  
 universum ejus usum, qui in unicum &  
 summum hoc encomium resultat o-  
 mnis.

Optimum est in macrocosmo & microcosmo,  
 mixtorum non minus ac viventium inprimis ordini.  
 Materia hæc est prima, & nemine contradicente ele-  
 mentum optimum, sororio cum terrâ ac reliquis cha-  
 ractere, quo sine nullum corpus consistere posset.

Optimum item est alimentum, rorido nectare re-  
 focillans, & intimioris admissionis omnem supplens  
 defectum, & ipsa pollens tali facultate, & accessione sul-  
 phuris alibilis aptior reddita.

Optimum denique est medicamentum, alterandi  
 virtute eximia. Vt alia non tangamus, emicant ea-  
 dem in acidulis, tanquam aquis medicatis nativis.  
 Has in præsentiarum delibare intenti à supremo nu-  
 mine supplicibus votis sollicitamus opem!

CA-



## CAPVT I.

DE

*Natura & Qualitatibus Acidularum in genere.*

**F**Rustraneum quidem videri posset de acidulis acturos in NOMINIS evolutione occupari, quod rei minus congruum appareat; ast nec illud inutile fuerit ad notionem intimiorem, etiam ex Philologiâ illustrandam, imò & ex antiquitate.

Enimverò antiquioribus non ignotæ fuere acidulæ, quoad ipsam rem, ast non statim quoad ipsum usum medicum. Instar omnium esse potest locus Hippocratis l. de aër. ag. & loc. c. 13. ubi, cum aquas memorasset, quarum fontes è petris scaturiunt, duras necessariò asserens, reliquas aperte tangit: ἢ εἴτε ὄψα θερμὰ ὕδατα ἔσιν, ἢ σίδηρος γίνεσθαι, ἢ χαλκός, ἢ ἀργυρος, ἢ χρυσοῦς, ἢ θείον, ἢ συστρημα, ἢ ἀσφαλθόν, ἢ νίτρον. Aut isthic ubi calida aqua existunt, aut ferrum nascitur, aut æs, aut argentum, aut aurum, aut sulphur, aut alumen, aut bitumen, aut nitrum.

Expertissimum se monstrat fontium scrutatorem, thermarum non minus, ac acidularum, quamvis usum videatur nescivisse medicum. Sequentibus hinc seculis, & nomen, & vires paulo magis tactæ, unde acidæ venæ fontium Vitruvio audiunt l. 8. c. 3. fons acidulus Plinio, unde insula Acidula, l. 31. c. 2. §. 5. qui & confirmat à Vitruvio de Lynceste asserta. Lyncestis aqua, inquit l. 2. c. 103. quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit; sive id de odore intelligas, uti sanè videtur dictum, sive de potatu, ut Ovidius l. 15. metam. v. 329. canit:

- - - - - Lyncestius amnis  
 Quem quicumque parum moderato gutture traxit,  
 Haud aliter turbat, quàm si mera vina bibisset.

Acidu-



Acidula hinc dicta fuit usitatâ ac per frequenti medicis ellipsi, subaudiendo aquam, non aliter ac theriaca, mithridatium, purgantia, emetica, bezoardica & alia plura nominantur, citra medicamenti appositionem, quam itidem tamen subaudire fas est. Ast cum, quod rarum prius habebatur, vel saltim non ita exploratum, nec usu frequentatum, hinc verò ad plures derivaretur, uti cum primis fertilis est acidulis & thermis Europæus orbis, & in eodem Germanicus, acidularum vox enata est. Ita enim plures designantur, tam specie & loco differentes, quàm ipsis haustibus, aquam enim & aquas dicere usitato licet, quod perenni fonte aliæ atque aliæ scaturiant, eadem specie, diversæ individuo, si ita hinc loqui quoque fas est.

Et ipsa verò in diminuendi significatu prolata vox, quod antiquum illud vocabulum aceo, indeque pronatum dicit acidum, remisso gradu subinnuit, quasi dicas subacidæ, acidiusculæ aquæ, ob acorem lenem ac gratum, quem fovent, palatoque offerunt. Hinc Germanis audiunt Sauer-Brunnen / Sauerling / Wein-Brunnen &c.

Nec moveri debemus contradictione *Helmontii*, qui *Paradoxo tertio §. 4. de aquis Spadanis* acidos fontes sic vocatos contendit, non quod acorem præ se ferant, (esse namque insipidos,) sed quod acidorum instar sint medicati, ideò acidulis nobiliores, quo gratiores & potiores. Strictius videtur accepisse acidularum terminum, injuriosus hinc contra receptum loquendi usum, qui fundamento non caret. Non ineptè enim acidulæ ita audiunt, quod tales sint intensivè magis, quàm extensivè, potentiâ magis, quàm actu, volatiles magis, quàm fixæ, odore, si non sapore, ipsisque hinc effectibus.

Verum hinc est, gratiores & potiores esse aliis acidulis, solo gradu remissionis & dilutionis cum aquâ ita dietis, quin nec illa gratiâ & efficaciâ suâ carent, quamvis



alius longè profapia; quandoquidem ad gratiam conciliandam potionibus toto die id in officinis occurrit, ac à medicis præcipitur. Absit itaque, ut acidulæ sinisteriori & metaphorico aliàs significatu, pro odiosis, ingratis, mordicantibus ac adversis accipiamus. Ad alterum potius modulum invitant bibentes, & gratiâ hâc suâ se commendant, ut nec majori præbio bibi recusent.

Sunt hi ipsi fontes acidi quoque foterii, sano sensu, salubres puta, miraculosi, quod morbos incurabiles penè, vel saltim graves visos sustulerint: ast si vulgatum loquendi usum eumque strictiorem sequamur, differunt; illi enim ferè dicuntur magis extraordinarii, temporarii, minus durantes, licet minerales quoque, sed alius commatis, imò noxii non minus pluribus deprehensi.

Contradistinctæ itaque sunt acidulæ non modò fontibus aliis quibuscunque, aquâ sibi relictâ, dulci illâ, sensu medico, colore, odore, sapore privis, usuali, culinariâ & alimentari, seu potulentâ saltim, scaturientibus; sed etiam in primis medicatis, & nominatim thermis, sive elementa spectemus, sive effectum. De illis dum agere animum induximus, *ὡς ἐν γέλει*, ut natura acidularum penitus patere possit, ususque hinc earum sibi certius constet, nec empiricorum instar cæco encomio ducti nymphas has salutemus, non uno ad harum diagnosin opus est medio, sensibus externis, ratione mechanicâ præcipuè atque chemicâ, & experienciâ. Hæc enim firmissimo invicem junctæ sunt nexu, ut separari aut divelli vix debeant, vel possint, cum signa & phænomena externa sensus, causas ratio, effectus hinc experientia notet.

Cumque jam satis quodammodo sint obvix, & certo conceptui formando reliqua omnia inserviant, liceat DEFINITIONEM subnectere sequentem: Acidulæ sunt aquæ medicatæ, nativæ, vividæ, leniter acidæ, sale & spiritu minerali vitriolico-nitroso citra effervescentiam diffusæ foetæ.

GENE-



GENERICIS locum tenet aqua, quod cum aliis convenit omnibus. Aquam enim, eamque vividam, seu fonte suo & scaturigine perenni effusam, eamque statim suam, nativam, nullâ artis ope factam testatur sensus. Neque enim nativæ esse desinunt, quæ artis ope, saxorum circuitu, locoque ipso usui commodiori aptantur, gefasset vocant Germani, idem enim & in aliis fontibus occurrit.

DIFFERENTIAM SPECIFICAM reliqua adjuncta dicunt, ab usu ac fine, à formâ, à scaturiendi modo desumpta. Medicatæ enim sunt, seu corpori nostro alterando proficux, uti omne medicamentum est ἀλλοιωτικὸν τῆς φύσεως, latiori sensu, non deleterii tamen, seu reverà tales, seu putati saltem. Nulla adest effervescentia, calida puta, ut in thermis, & consequenter nullus calor, quin frigidiores ferè aliis deprehenduntur.

Operæ hinc pretium fuerit, paulò penitius lustrare phænomena acidularum, tum quoad locum ipsum natalem, tum quoad ipsas communes ferè circumstantias alias. Enimverò non promiscuè vel ubivis locorum exuberant acidulæ, nec novâ etiam scaturigine comparentes aquæ, vel revertentes, æquè sunt pro fontibus foteriis habendæ, prius, quàm scrutinio Medici fuerint comprobatæ, & experientiâ ipsâ cumprimis conjunctâ. Est ergò in aquis hisce imprimis, ut aliis quoque, ἰδιοσυγκρασία quædam, quod agnoscit Dioscorides l. 5. c. 18. διὰ τὰς τῶν τόπων ιδιότητας, propter locorum proprietates. Extant ferè in convallibus, aggeribus montium petrosis, lutosisque diversi generis, circumdatæ, læto vigore emanantes.

Et licet interiora viscera scrutari venarique oculis minus integrum sit, quis enim origines abyssi fontium investiget? ipsa tamen loci vicinia, ipse progressus & decursio aliquid suggerit, quod secum portasse vectigal ostendunt. Præcipuè ochra se offert, successivè minutissimis atomis se affigens portæ, seu tubis, quibus effunditur, parietibus, quos transit, alveis, quos lambit, imò concretere sensim observatur. Est



Est, ubi aphonitrum quoque in cryptis, cavernis, imò superficie aliâ concrefcit, & soli nitrofi argumenta plura se offerunt, quod de confiniis acidularum Ægranarum observat *Langius*. Imò nitrum hoc solo proprium est, tanquam sal terræ, seu sal petræ hinc quoque, quanquam aliis locis magis, aliis minus id extet ac eruatur quoque. Seorsim verò saxa & lapides tale sal nativum velut in matrice suâ condunt, non tantum viâ siccâ, per ignem calcinatione mediante in apricum concedens, sed etiam viâ humidâ per nives liquefactas, per aquam pluviam elutriatum & efflorescens.

Si propinquius examinemus per sensuum concilium easdem, *odor* subtilis inde spirat, non ingratus, sui generis quidem, comparandus tamen quodammodo cum odore phlegmatis seu roris vitrioli. Vti aliàs quoque ipsum sal commune, nitrum, sulphur, antimonium ipsum, sub destillationem vel sublimationem, aliasque operationes chemicas, odorem sulphureum de se fundunt, idemque in salinis fontibus emicat plurimum; qui odor extra nativum solum vectis vel repositis sensim disparet.

*Color* limpidus est & crystallinus, bullulæ ad latera vitri minimæ se exerunt, infusa vitro aqua minutissimis moleculis sursum profilientibus visum delectat & olfactum. *Sapor* activitatem salino sulphuream faucibus offert, modò cum constrictione aliquâ, modò sine eâ manifestâ, citra tamen acrimoniam aliquam insigniorem.

Vectæ aquæ obturatis vasis strictius dirumpunt non rarò eadem, tempore imprimis paulò fervidiore & motu accedente, quod laxius asservatæ gestatæque minus præstant. Idque de recenter haustis, & spiritu suo vivido fœtis, saltim valet & intelligendum est: effœtæ enim torpidæ sunt, neque faciliè id experimentum sustinent; quin & in aliis sensim sensimque deficient, saltim quoad gradum singulorum, ipsarumque hinc virium.

Quod si destillationi subjiciantur, non æquè separari possunt



possunt partes contentæ, ut seorsim spiritus à phlegmate obtineatur: sive quod diffusiori quantitate immersæ partes, quas in exiguâ aliquot mensurarum mole frustra exegeris; sive quod subtiliores sint illæ elasticæ particulæ, & in centrum seu poros aquei phlegmatis concedentes. Videas id in aliis quoque, uti de sedo minori destillato per se id verum est, cujus volatilis acrimonia sic planè conticescit, neque tamen ideò virtute & activitate antiscorbuticâ volatili deficit. Imò & rorida illa phlegmata eximum secum gas gerunt in sinu, ipsiusque sulphuris fumus acidulus vina condit, & phlegma vitrioli sulphureum est, ne de sale communi id repetamus.

Sin evaporatio instituatur, aliæ particulas terreas, intimè prius solutas menstruo hoc universali, aquâ, relinquunt post se & manifestant; aliæ verò & tantum non omnes, quamvis non eadem proportione & quantitate, exhibent sal egregium medii generis, non alcalicum, quod cum acidis effervescat, non acidum, sed medium & enixum, analogum nitro vitriolato, seu arcano duplicato. Idque, ubi haberi potest, ut in Egranis cumprimis, aliisque hinc, & per se in usum vocari meretur, & cum acidulis assumptum, non parum acuens & augens eandem virtutem. Nullum verò vitriolum, quod novimus, ex acidulis ipsis concrefcit, quod rectè hinc asserit quoque & latius *Listerus l. de fontib. medic. Angl. c. 7.*

Interim tamen cum gallis remixtæ tincturam acquirunt, non nigricantem quidem penitus, quod à vitriolatis & hisce analogis fieri consuevit, attamen obscurum paulò & ex nigro rubellum colorem; unde & atramentosæ aquæ audiunt nonnullis. Quin & alvi feces ab iis assumptis consuetâ martialibus & vitriolatis nigredine tinctæ observantur non rarò, quod bili unctuosæ cum vitriolico, si non proprio explicito, à croco tamen martiali per acidum hypochondriacum resolutò & resultante, remixto adscribendum.

B

Nec



Nec de nihilo est vires delibare in antecessum ipsas, ad elementa pernoscenda, quod hoc loco comparative solummodo relatione ad thermas, facere liceat. Acidulæ refrigerant & temperant, thermæ calefaciunt & siccant; acidulæ sal habent secum enixum, thermæ alcalicum; acidulæ statui alcalico-biliofo humorum vitiosorum magis quadrant, thermæ acido. Tacemus alia, quorum recensio partim aliunde repeti potest, uti sane *Langii tractatus de acidulis Egranis* elegans, curiosus, & insignis est lectuque dignus, partim oculari inspectione confirmari; hæc enim pauca forte jam sufficere queunt ad explorandam naturam, noscendas qualitates & philosophandum de origine acidularum non minus ac virtutibus & confectionis aliis.

Assignare ergo consultum erit acidulis hisce originem communem, principalem quidem ex terræ hydrophyaciis, ceu venis quibusdam minoribus extrorsum exporrectis, communi circulo gaudente fluido in alveum regurgitante. Ita enim commodè possumus concipere intra terram esse veluti arterias, advehentes ad extimam superficiem, extra eandem quasi venas revehentes, reforbendas iterum suo loco. Agnoscere fas est intrinsecum hoc & constans principium in elemento intra sphaeram suam semper mobili, nec tale esse desinente, nisi extravasetur, non aliter ac in microcosmo idem fit in fluido vitali utroque, lymphatico ac sanguineo, aqueo-rubro.

Adæquatam verò à pluviis, aut æthere ipso quoque arcessere oportet, quamvis non pauci è recentioribus hodie extraneæ huic causæ fluminum ortum adscribant solum quasi, quos suo abundare genio relinquimus, vicissim nobis libertatem consimilem philosophandi concedi rogantes. Videmus enim domesticum esse terræ humorem, ejusque duo quasi vitalia esse itidem principia hæc, calidum & humidum, & omne humidum etiam à pluviis accessorium terræ esse proprium, nec nisi ad eandem reverti.

Cumque



Cumque verum sit aquam pluviam eandem esse specie cum terræ alveis concreditâ, ipsique reddi, non diffitemur sanè, augeri inde & turgescere flumina, sed magis accidentariò, seu ab extra potius. Accedit pressura ætheris tempore æstivo calido, calor verò dilatat aërem, dilatatus premit humidum, & diffundit in terræ poros, ne tam abundè luxurient; idem verò calor attenuat & dissipat humidum magis. Tempore vero hyemali, nisi congelet fluida illa strictior æther, & sursum evocet particulas humidas, promptissimo nisu evolantes, uberiori undulant fœnore. Sed fontes ipsi videntur minus obnoxii illi alterationi, semper quasi iidem manentes, saltim respectivè. Tacemus, non congelari hos fontes, ob vividum motum, & salia resoluta, ac spiritum quem secum vehunt. Et hæc de origine communi, quantum nostri est hoc loco scopi, dicta sunt; reliquum est, ut de specificâ quoque, seu ortu fontium acidulorum nostram exponamus mentem.

Ex his verò aliisque penitus consideratis efficitur, acidulas in genere, quoad scaturiginem illam suam, mutuari ex terrâ, quicquid secum vehunt virtutis, & in lucem proferre, velut testes vivos, & socios indivulsos, particulas solutas, immerfas & coalitas, & has quidem minerales. Tincturâ harum, ut loquamur cum chemicis, saturatæ sunt, magis vel minus. Quippe tales sunt aquæ, elogio *Plinii l. 31. N. H. c. 29.* qualis terra, per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lavant, succi. Idque effatum commune & antiquum esse confirmat *Theophrastus l. 6. de caus. plant. c. 3.* διὸ, inquit, καὶ οἱ παλαιοὶ φασὶ, δι' οἷας αὖ γῆς πέη, τοῖσ'το καὶ εἶναι. Quâ de causâ veteres autores dixere talem esse aquam, qualis terra, per quam fluit.

Deinde has ipsas agnoscere par est qualitates & vires esse seminales, non temporarias, seu quoad menstruum fluidum spectatas, seu quoad soluta & extracta mineralia. Principium feminine hoc confirmat non solum perennitas, immutabilitas, status idem, citra interpolationem ullam; sed & virtus & efficacia, dum quod



vehunt secum aquæ, cæteroqui dulces & insipidæ futu-  
ræ, etiam feminalibus viribus largè evibrant in corpus.  
Utrisque subinde fœtæ sunt mirandâ & inimitabili mecha-  
nicâ. Adeò & in subterraneis locis efficax est natura, dan-  
tur & ibi sua fermenta, & semina, à Dei O. M. benedictio-  
ne indita, quæ agnoscere & venerari decet meritò.

Non verò ipsi terræ hæc adscripseris, utut benignæ  
matri, grossiori modo spectatæ, nisi ut matricem salium  
consideres, quo sensu remotius concurrit omninò. Ele-  
menta communia sunt omnium fontium aqua & terra;  
specialia hîc dantur, seu specifica & feminalia potius, ho-  
spitantia sine dubio in principiis æctivis, elementis secun-  
dis, ex primis illis ortis. Adeoque non possumus, quin  
sensibus quoque deprehendamus tum evaporabiles, e-  
lasticas, subtiles, volatiles: tum odorabiles, tinctas, v. g.  
in ochrâ, viscidas, lentas: tum maximè & principaliter sa-  
linas, solubiles.

Possemus hîc congerere & attingete diversas autorum  
hypotheses, in assignandis hisce occupatorum, *Job. Gwin-  
theri*, dicti *Andernaci*, *Theodori*, dicti *Tabernamontani*, *Hel-  
montii*, *Fabri*, & aliorum, nisi illas legere integrum esset  
apud *Sebitium lib. de Acidulis*, *Langium l. c.* *Listerum de  
fontibus Angliæ medicatis*, ne plures laudemus. Si dicere  
volumus, quod res est, non diffitemur, differre fontes à  
fontibus etiam acidulos, & alios unum, alios plura salia,  
vel mineralia secum vehere, ac pro horum modulo va-  
riare quoque qualitates & virtutes. Distinguere tamen &  
hoc loco integrum est inter essentialia & secundaria in-  
gredientia, & prout hinc proportio solutarum particula-  
rum & solventis aquæ, & cætera variant.

Acidulæ non uno solo sale aliquo constant, & vir-  
tutes suas illi debent, sed, quali si quæras, vitriolo &  
nitro; quod demonstratu non difficile est. Vitriolum e-  
nim arguitur ex odore sulphureo, ex ochrâ, ubi enim  
talis ochra, ibi vitriolum; ex sapore, vitriolicum enim  
quid



quid sapiunt, unde & atramentosa, quamvis non absolute tales, audiunt: ex phaenomenis aliis, ex effectu denique ipso.

Vitriolum dum dicimus, tanquam elementum unum specificum, hoc ipso non abnuimus, pyriten fabrum esse acidularum posse, est enim pyrites talis matrix & minera vitrioli, adeoque materia remotior, vitriolum proximior magis. Resolutum enim ochra, sapor, odor & dicta ostendunt. Non item negamus, sed ponimus potius & affirmamus hoc ipso, acidulas participare de martiali vel venereo, vel gemino etiam, ipsiusque terrae fermento. Vitriolum enim intimè solvitur in aqua, & solutum etiam continet secum ochram martialem, veneream, modò hanc, modò illam magis, hermaphroditicam. Neque ideò tamen movent vomitum aequè, notum quippe est martis connubio mitigari venerem, & exuere vel minus exerere virulentiam suam.

Neque obstant, quae in contrarium adduci queunt, quae summam eò redeunt, quod nec per naturam circa acidulas, nec per mechanicam vitriolum ex iisdem habeatur. Ad salvandam enim illam hypothesein hi vitriolum nondum maturum agnoscunt in acidulis, alii non corporeum, sed spiritale, quorsum & exigua quantitas referri posset, & quod sub aquis vel defensus ab aere libero, pyrites minus calcinari quasi, & vitriolum parturire queat.

Monstrant id suo exemplo quoque globuli Viadrini ejusmodi commatis, qui intra aquam servant suam naturam, libero commissi aeri itidem alterationem subeunt confirmilem. Et his tamen remotis, vel suo loco relictis, verum esset hoc postulatum debere exigi ad sensum vitriolum, & exinde concrefcere, si solum & sibi relictum, etiam si minori mole praesens, in esset, vel fontes hosce constitueret. Ast secus se res habet. Enimverò nitrosum alterum elementum, etiam latius paulo dictum, confirmant non minus asserta haectenus, & maximè itidem sal



inde habendum, puta ubi non minimâ mole extat, & effectus.

Tantum verò abest, ut vitriolum substantificum expectare possimus ex acidulis, his elementis gaudentibus; ut potius mechanica nitri vitriolati, seu arcani duplicati, notissimi in officinis, planè repugnet, cuius *ἑγχειρσις* insigniter hæc illustrat. Quando enim hæc committuntur, nitrum fixum v. g. vitriolo soluto, disjicitur mox ochra, acido saturato, infirmato, destructo, & vitriolum esse definit, ejusque loco hinc obtinetur sal medium, analogum planè sali acidularum. Quis itaque vitriolum expetat, ut gignatur, ubi destruuntur, separanturque, quæ unita vitriolum constituebant?

Nitrum verò dum dicimus, nominamus sal terræ, acido, alcalico & sulphureo constans, prædominante tamen ferè medio fixiori, alcalico, eoque sui generis, seu utroque potius, & vitriolico & nitroso hoc sale specifico. Neque enim purè acidum cum purè alcalico congregitur, cæteroqui effervescentiam daturum majorem; sed vel ipsum nitrum nativum, aphronitrum, suffecerit, quod, uti apud nos provenit ac visitur, solutum in aquâ & cum solutione vitrioli commixtum, hujus rei mechanicam exhibet.

Perinde verò est, utrum ex lapide calcario, vel petrosi faxis, an terrâ ipsâ arcessamus ejusmodi sal, & advectum aliunde vitriolicum, an vice versâ se habens; an mixturam talem seminalem soli vitriolico - nitroso, alluvione aquæ vividæ solutionem patientis, ut subinde alteretur inde aqua scaturiens, diffundantur in eadem ochræ partes cum reliquis, sicque communicetur eidem tum gas vitriolicum resolutum subtilius, tum partes quædam salinæ terræque & minerales grossiores, motu illo rapidiori continuo externo internoque, adeoque vivido, abreptæ, uno verbo acidulæ emergant & gignantur.

Quod enim vapores è cryptis terræ sursum sublimatos attinet, non illos quidem negaverimus, cum in subterra-

terra-



terraneis quoque locis nec calor sit deses, nec natura ipsa minus tamen videntur iidem satisfacere, si cum altera laudata hypothese hæc comparetur. Etenim ochreae fixiores partes minus huic sublimationi quadrare deprehenduntur, ut adeo via humidâ magis produci putandæ sint acidulæ, solutione & combinatione intimâ, quam ficcâ vaporum istiusmodi. Interim quemvis suo facile abundare largiemur posse sensu, uti etiam huc referri potest altera hypothesis, principia acidularum esse vitriolum, ochram & sulphur, quod statuit *Carol. Leigh. phib. siol. Lancastr. append. c. 2. p. 100.*

Ex quibus omnibus efficitur, ut id summatim repetamus, quod vitriolum sale nitroso è petris absorpto factum, ac inde immutatum, acidularum sit autor, ac reliquis omnibus contra sufficiat, quippe singula illa secum fovens, quæ seorsim ab aliis exhibentur.

Tacemus aluminis acidum, quod licet maximè cum vitriolo symboliset, hoc loco tamen vel solius ochreae, seu croci metallici cujusdam evidentia specificè dicit, quantum & quomodo distent, illâ quippe tincturâ alumen caret, unde & vires aliæ in aluminosis fontibus visuntur.

Neque verò acidulæ artificiales communiter laudatæ assequuntur laudes & vires nativarum. Quamvis enim suis effectibus sint commendabiles, simile tamen nec hoc loco est idem; siue clyssus antimonii sulphuratus hunc censum subeat, ut plerisque placet, siue vitriolum martis fluidum in aquæ sufficientem quantitatem didatur, quod *Tollius* pro aquâ artificiali Spadanâ commendat, *comm. in Stöcker. Conf. Poter. Pharm. Spagir. l. 2. c. 17.* Sunt hæc bonæ notæ medicamenta, sed acidularum *æzian* non assequuntur.

CAPVT



## CAPVT II.

De

*Viribus & usu Acidularum.*

**V**T avaros bono sensu decet esse medicos, seu ab utili æstimare quævis præfidia; ita idem in acidularum usu & effectibus obtinet meritò. Et propriâ quidem jam effulgent dignitate atque encomiis, etiam vulgo decantata ita, ut ceu panacæa quædam reputentur, & asylum morborum ultimum, imò *θεῖον ἴαμα*, *divinum medicamentum*; interim tamen, si huic experientia addatur ratio, majori id radiare potest encomium luce, & saluberrimus revera usus in quamplurimis morborum generibus emicare.

Non dicemus de usu & viribus cum aquâ communibus, qualis est domesticus, culinaris & alimentaris, uti ad cibos quoque parandos recipiuntur ab accolis; sufficit in præsentiarum medicus. Aquæ enim elemento non pauci curantur morbi, & longè magis *ἐξοχῆ* tali gaudentibus. Duplex hic assignari potest, tum absolutè talis, tum medico-politicus, & medius, quatenus ita immorigeri aliàs in medicaminum assumptione, aut diætæ servandis legibus, melius adstringuntur: mutatur insimul æther, divertitur animus, loci, conversationis, diætæ & varietatis illecebris, quod quantum ad morborum ablationem conferat, vix dici potest.

Cum verò vires & usus dependeant à qualitatibus acidularum, & modi hi ab ingredientium particularum modulo, si illa repetamus ex hætenus dictis, aquæ in genere diluitionem præstant & fluxilitatem necessariam, adeoque contemperant salia, lympham magis reddunt mobilem, & vehiculum reliquis omnibus surrogant necessarium. Vitriolicæ martiales roborant, acidulæ incidunt, nitrosæ detergant



tergunt, partes volatiles, spirituosæ, elasticæ penetratio-  
nem largiuntur.

Hinc, si distinctius vires generales hæc lustremus, acidulæ refrigerant, quatenus bilem & salia fermentifica alterant, infringunt & corrigunt, & lymphæ suam afferunt vigorem; quamobrem actuali hac dilutione humectant, & solantur viscera, & vicissim ob salinas absorbentes, referantes & educentes particulas siccant, & tollunt restitans vel inhærens largius poris serum; adeoque temperant insigniter morbosa inquinamenta.

Eadem verò præcipuè *aperiendi, abstergendi ac resolven- di* virtute pollent, tanto magis commendandæ hoc nomine, quod tum fluiditate suâ tum aliis elementis diversimodè variantibus indicationibus satisfaciant, simul verò roborent, postquam penitus insinuarunt poris glandosis mesenterii, pancreatis, bilis, intestinorum vires suas, illuc accessionem nacta, quorsum aliis provehi minus conceditur. Optima uno verbo sunt aperiencia, colophonem aliis omnibus addentia. Et licet differri videatur non rarò longius paulo emolumentum inde oriundum ac speratum, neque statim & è vestigio expromptam præstent medelam; & ipsâ tamen morâ suâ compensant dilatatum auxilium, sensim sensimque, quod diu congestum, alteratum, vitiatum est, in temperie, spherâ ac circulo, expediendo.

Imò, quod cum aliis commune est elogium, ipsæ eximie exequuntur, universale sunt remedium, aliis pluribus contra. Ut merentur hunc titulum purgantia, κατὰ divergentia amurcam scybalorum biliosam, pituitosam, melancholicam: ita acidulæ laxant alvum, modò tanquam leniora, benedicta, ἐπιπορευτικά, modò largiori fœnore, liquidâ formâ, abstergivâ, salinâ virtute conspicuæ.

Sic & si diuretica & diaphoretica sunt universalis remedii effato digna, longè magis id de acidulis afferere fas est, largâ effusione & saponariâ efficaciâ vias urinarias

C

defe-



defecantia, & poros glandularum subcutaneorum salinâ illâ vi referantia. Catholica itaque sunt, si quæ alia, seu vias publicas spectes, omnes & singulas, operantur enim *ανω*, per vomitum, quamvis rarius paulò, *κατω*, per alvum, per urinam, per sudorem, salivam, imò uterum quoque & hæmorrhoides; seu usus in universum corpus ubertim inde redundantes.

Neque idcirco reputandæ sunt tanquam asylum morborum ultimum, præterquam bono sensu. Non enim in horum proposito usu cessat medica manus, sed longè maximè succurrit & expetitur, quandoquidem probato hoc subsidio dum uti debent ægri, opus est prudenti medici consilio, non minus ac antea. Pensitandum probè & deliberandum etiam hîc diu, quod statuendum est semel. Secus enim si id intelligas, tantum abest, ut asylum sint sanitatis recuperandæ, ut potius promptam ad internecionem sternant viam, velut gladius in manu furiosi.

Prius verò, quam ad recensitionem usus specialis à communi dicto abeamus, præstat distinctionem usus acidularum aliam delibare; aliis enim primarius quadrat, seu principalis, per se talis, aliis secundarius solum, seu indirectè, remotius, adæquatè conveniens. Sic primarius ferè est internus & certis affectibus magis debitus, de quo hætenus asserta præcipuè valent, in potu v. g. regulari, ac à medico ordinato; secundarius internus & externus. Sic ad temperandum vinum & potum loco alterius aquæ, ad decocta pugillaria herbarum appropriatarum, ipsiusque herbarum Theræ usurpantur. Sic exterius ad balnea, lotiones, universales, vel particulares, gargarismata, fustus, clysteres ordinarios, vel uterinos quoque, in usum venire assolent.

Ad hunc ductum si procedamus, usum habent acidulæ insignissimum, eumque primarium in morbis chronicis, & infimi ventris, tartareis, ab obstructionibus oriundis,



dis, biliosis, alcalicis, crassis, viscidis, lentis, seorsim affectu hypochondriaco, indeque fortis non paucis, quorum sunt velut quædam panacea. Sic profunt in morbis ventriculi, inappetentiâ, cruditate nidorosa, vomitu hypochondriaco, sodâ, chylicatione læsâ, ventriculo flaccidiori, & intemperato ab ebrietate, & vini potu largiori, ingluvie, egregiè elutriando, resolvendo & roborando.

Idem puta de morbis intestinorum symbolicis, pancreatis, hepatis, lienis, & mesenterii, doloribus hypochondriorum, alvi obstructionibus, ictero, flavo & nigro, diuturniori dolore mesenterii, seu colicâ scorbuticâ, chronico illo malo, indeque oriundâ paresi; in phlogosi viscerum & faciei ac manuum scorbuticâ, scorbuto calido, purpurâ simplici & scorbuticâ, hæmorrhagiis narium, mensibus obstructis & immodicis, hæmorrhoidibus eodem modo habentibus.

Neque enim absurdum est, diversos & contrarios affectus respicere acidulas, modò causas & agendi modum attendamus. Reserant nimirum fluxiles reddendo humores & exstimulando, salinâ abstersoriâ qualitate; obserant temperando biliosos, alcalicos, & roborando villos, seu fibras nerveas & elaterem partium.

In intemperie item renum calidâ officium faciunt, & educendâ saburrâ arenosâ, lentâ, phlegmaticâ, tartareâ. Imò in ischuriâ & dysuriâ ipsâ ex his causis fortâ, seorsim à mucilagine lymphæ viscidâ, crispante nihilominus fibrillas nerveas sphincteris. Sic & in suffocatione uterinâ & hypochondriacâ, febris albâ virginum, sub dictis quidem legibus, inprimis ab inflatione fermenticâ feminali vel acri biliosâ fortis, fluore albo ipso quoque, acri, bilioso, vel feminali.

Quod superiorem ventrem attinet, & illuc vires vibrant suas acidulæ, quando, uti quidem sæpius fieri consuevit, in infimo minera & focus reperitur, atque ob con-



sensum ibidem hospitantur. Sic doloribus capitis inveteratis, ipsique hemicraniae subveniunt alterante sua virtute, ut & vertigini chronicae & hypochondriacae, melancholiae ejusdem commatis, maniae ipsi, ac incubo; quandoquidem ex praecordiis evehunt causam, & massam sanguineam, ipsosque spiritus diluunt & contemperant. Idem de epilepsia quoque asserere integrum est; cum enim gas elasticum edoment, & impense refrenent, motibus convulsivis debentur omnino. Frustra vero in subsidium vocantur, ubi radicatum insedit fibris cerebri centralibus malum, ubi lymphae dejectus elater lunaticum vel astralem sequitur extraneum elaterem. Saltem minus iis in casibus contulerint.

In sensuum organis habitantibus morbis non parum ex his fontibus praesidii suppetit quoque. Serenantur inde oculi, & aciem nutantem recuperant, correctam lymphae acrimoniae in ophthalmia, suffusione imminente, visus debilitate, guttae serenae minitante. Cum enim putrilagini lymphae scorbuticae debeantur apprimere, & noxis inde in corpus reliquum resultantibus opponi merentur. Sufurros aurium hypochondriacos, subtili rarefactioni lymphae intemperatae adscribendos, aut tollunt, aut certe levant. Nec in difficultate auditus sunt de nihilo, siquidem & petrosi hisce cavernis lymphae vitia se insinuant. Naribus etiam ichorescentiam lymphae putidioris putrilaginosam suscipientibus, ut in ozæna & faetore simplici, conveniunt.

Quod medium ventrem attinet, respectu ad reliquos habito, paulo minus congruunt, nec ibi tamen sine fructu deprehenduntur. Enimvero labefactatam sanguificationem ob generales laudatos usus non parum juvant, & visceribus apparantibus prospiciendo, & promotio dilutorum circulo; ne dicamus de remoris in prima culinam ablati quoad appetitum & digestionem chyli promotam. Palpitationi cordis, quae hypochondriacis solennis saepe est,



est, opponuntur inter alia non immeritò & acidulæ, grua  
 mescentiam massæ sanguinæ intentatam remove aptæ  
 natæ. Quin & in syncope præcordiali ac hypochondria-  
 cã, ( cur enim non ita nominemus? ) officium faciunt,  
 præservandâ scilicet, ne de hysteriçã dicamus. Nec pe-  
 ctoris mala intacta relinquenda, certis casibus, nomina-  
 tim asthmati præcordiali, foto ab obstructionibus, in-  
 flationibus, & simili statu, acidulis profuisse visis.

Proficiunt & in morbis articulorum, podagrâ & arthri-  
 tide, nondum tophaceo fixo coagulo, vel tartaro coagu-  
 lato fœtis, sed adhuc dum mobili & resolubili. Similis ra-  
 tio est calculi ipsius, hoc pacto habentis, scabiei item,  
 pruritus totius, vel pudendorum, solî etiam elemento aquæ  
 obsecundantis, nedum acidulis, macularum hepaticarum,  
 impetiginis, lichenum, ulcerum scorbuticorum, tum ali-  
 bi, tum in pedibus scaturientium.

Sed dum hîc subsistimus, paulò distinctius delibare  
 fas est CONTRAINDICANTIVM & PERMITTENTIVM seriem,  
 quæ cautelarum loco esse queunt, non modò quoad sub-  
 jectum, sed & quoad morbos, quibus minus convenire &  
 rationis & experientię trutinâ deprehensæ sunt.

In genere, quod de aliis evacuantibus apprimè ve-  
 rum est, VIRES requiruntur, quæ acidulas ferre possint;  
 vires vitales, animales & naturales. Reverà, ut in sanis  
 non temerè, nisi instar alimenti miscendo cum vino, in  
 usum vocandæ acidulæ: ita in ægris actu decumbentibus  
 non minus abesse debent. Quamobrem neutro potius  
 statu, quem vocare liceat, adhibendæ fuerint, quali ferè  
 gaudent valetudinarii, hypochondriaci, & scorbutici lau-  
 dati. Et hi verò si ad incitas redacti fuerint, nec vires  
 suppetant, abstinere debent, nec nisi suasu medici pru-  
 dentis & solidè hæc callentis se ad acidulas conferre.

Enimverò observati sunt id negligentes ad cymbam  
 Charontis navigasse, mortem alioqui differendam reli-  
 giosiori & præpostero studio accersentes ocys. Vires er-  
 gò indicationum tyranni etiam hoc casu sunt, non peri-



dicandæ temerè, sed, an respondere quæant curæ huic ab-  
solvendæ, probè æstimandæ, non in præsens solùm, sed &  
in futurum. Visæ enim sunt sufficere prius putatæ, vel  
immodico, vel minus conveniente usu hinc attritæ & de-  
jectæ, nec iterum stabiliri valentes.

Quod si materiam hanc permittentium & contrain-  
dicantium lustremus, TEMPERAMENTVM acidulis aptum  
est magis calidum, quàm frigidum, seu humidum simul,  
seu quadantenus siccum; citra tamen excessum ullum  
qualitatum harum passivarum. Nec ÆTAS negligenda,  
siquidem non infantum hæc est curatio, nec puerorum,  
nec senum facilè & ordinariè; sed mediæ magis ætatis  
hominum, adolescentum, juvenum, virorum; & in illis  
tamen non sine ἀσφαλείᾳ.

Profunt utriq; SEXVI, modò cætera sint paria, quam-  
vis comparatione factâ ferè magis virili, quàm sequiori so-  
leant suaderi. Cavendæ verò gravidis, præterquam ad sue-  
tis, & moderatori usu, ne turbas citent ullas; in mensium  
verò obstructione, immodico fluxu, inordinatione, fluore  
albo, secundum circumstantias alias, per dicta, proceden-  
dum est.

Duo hinc potissimum spectanda sunt in admittendo  
vel suadendo hoc usu: status lymphæ & viscerum, seorsim  
& conjunctim. In genere enim in lymphæ copiâ, σίσις,  
fluxione seu motu intraneo acidulæ minus profunt; sed  
contraindicantur potius ordinariè. Hinc in hydropicis  
non facilè suadendæ, nisi à causâ calidâ, ætate vegetâ, re-  
num debilitate, retentâ urinâ, prævio motu corporis & a-  
nimi fortiori potu hausto, vel simili aliquo casu. Hinc ra-  
ra sunt, quæ B. Langius notavit in quodam viro, qui ab hy-  
drope per acidulas liberatus, hinc interfectus, in dissecto  
corpore viscera sana ostendit.

Idem tenendum de cachexiâ, præterquam dictis  
casibus, cum fervore viscerum, scorbuticis salibus diluen-  
dis & ad fluxum reducendis, cum obstructionibus, immi-  
nente magis quàm perfectâ & præsentè, ut in cachexiâ vir-  
gineâ.



gineâ. Aliàs enim in utroque casu tantum abest, ut tumor pedum, scroti, & abdominis hydropicus inde sublevetur, tollaturque, ut potius increseat & ad *ἀκμὴν* perducatur facile. Ut contra eâ, quando proficua sunt, non parum confert adhibitio medicamentorum aliorum, & motus corporis fortior, cum *εὐφορία* tamen.

Minus etiam utiles sunt in catarrhis, tum aliis, tum ad pectus exorbitantibus, in tusi, sputo cruento, phthisi. Ut enim tussis non omnis obftet, sed à siccitate glandularum & superficiariâ titillatione, ab hypochondriis, à ventriculo fota admittat acidulas non rarò; attamen si fibrillas pulmonum quatiat magis lymphâ acris, falsa, tenuis, vel viscida quoque pro re natâ, quando dispositio ad est ad phthisin veram, consultius abstinetur. Verum est, non omnes aridos esse æquè vel reddi phthisicos, quosdam tales putari, non esse; sunt tamen etiam & redduntur, qui non putantur. Hinc emetica & acidulæ ut plurimum pondus addunt, & dispositionem vertunt in habitum, nisi caveris. Putrilagini lymphæ oppositæ sunt acidulæ, non tamen cuivis.

Sic & in diarrhœâ, & dysenteriâ propriè dictis acidulæ ferè impertinenter sumuntur, nec, si quæ exempla prostant in contrarium, temerè sunt imitanda. Minus etiam frigidis quoad ventriculum, quoad nervos & calorem debilem, paralyticis v.g. ex usu esse solent, præterquam à paræsi scorbuticâ, & à colicâ tali oriundâ, sed malè ferè cedere.

In calculo quoque ipso concreto & perfecto nocere non rarò possunt magis, quatenus quietum illum in loculis tubulorum renalium visum & consistentem virtute diureticâ in pelvim præcipitant, cum ischuriâ lethali. Talis visebatur in dissecto cadavere Theologi ejusdam, incurneatus utrinque pelvi, cum distensione insigni, qui prius dolore nephritico intensiori liberatus, vertente anno de novo paroxysmo afflictus ab acidulis epotis mox suppressionem urinæ experiebatur, ad XI. diem perdurantem, donec vitæ pausam faceret. Quod



Quod itaque in hydrope est prognosticum Hippocraticum, qui eo liberari velit, eum sana viscera oportet habere; id hoc loco in assignando usu acidularum non minus valet. Valet id non tantum de medio ventre, seu pulmone exulcerato, vel ad id disposito; verum quoque de infimo præcipue. Sic quoad ventriculum ipsum idem verum est, si erosione laboret, si flaccidior sit, & toni magis exoluti, quasi papyraceus, fibris nerveis magis teneris, minus vegetis. Sic hepar tartareo coagulo fœtum, vesiculis lymphaticis stagnantibus refertum; sic lien ad putrilaginem inclinans; sic abscessus alii latentes, & vomicæ, & status hecticus inde confurgens, ab acidulis exasperatur promptè admodum, & accelerantur quasi fata.

Adeoque si ullibi, etiam in generoso hoc remedio suadendo, vel adhibendo cœtera debent esse paria, ut profint, non noceant, idque non suâ, sed utentis culpâ, nec diffamentur infontes & non paucis eximiè profuisse visæ.

### CAPVT III.

De

#### *Legitimo Acidulis utendi modo.*

**V**T tanti valet exercitus, dicente *Floro*, quanti, qui præest, dux bellicus; ita, quod *B. Conringii* erat elogium, tanti est medicamentum, quanti, qui id ordinat, medicus. Locum id habet tum in aliis, tum maximè in heroicis illis ac universalibus, adeoque & acidulis nostris.

Nostro arbitrato optimum fuerit, quod in operationibus non paucis, seu chirurgicis, seu chemicis, dilucidandis ac ritè applicandis obtinet, respicere antecedentia, ἐγχετησιον ipsam, & consequentia, in quo omnis rei cardo vertitur, nec facile quis dissentiat, sed omnia medicorum præcepta ad tria hæc referri & possunt & debent.

Inter



Inter ANTECEDENTIA primo loco, quamvis remotius paulò, pensandæ sunt INDICATIONES, ut delibetur prius iudicio accurato medici, an suadendæ & usurpandæ sint acidulæ, morbo chronico, aliis remediis minus cedente, consentientibus viribus, & circumstantiis reliquis, nullo prohibente in contrarium obstante, permittentibus ipsis præsentibus. Sufficit hinc, ægrum annuere, & ad id dispositum esse. Cumque sermo sit, non de quocunque acidularum potu, sed ordinario, completo & recepto, ipsi tamen ægro congruo, alterum hinc est, ut eligatur TEMPUS anni conveniens.

Solent acidulæ bibi magis tempore, in genere spectato, verno & æstivo, minus autumali & hyemali, quando solis radiis discussæ magis heterogeneitates aeris, terræ & aquarum ipsarum, corporibus, neutris illis cumprimis, ad itinera, ad usum medicamentorum, ad motum, ad acidulas, magis aptis visis, mense Majo, Junio, Julio, Augusto maximè: ibi enim partim jam diffugere nives, rediereque gramina campis, partim temperie cœli corpusque animusque juvatur.

Speciatim plus saltim conducunt, quando *dies* in septentrionali plagâ hæc minus sunt anomali, nec frigus horrida reddit corpora, nec calor exolvit, non venti turbant, nec pluvix obstipant eadem. Horum alterum si contingat, contra ire fas est, ne temerè aeri exponatur corpus, sed defendatur à frigore, & aliis aeris injuriis, ad focum potando tunc & domi potius, quàm æthere libero. Opponi hanc in rem quoque purgantia aeris, suffitus grati, debent, & corrigi excessus omnis, ut moderamen sustineat, nec intemperie alterentur debiliora jamdum corpora & valetudinaria.

Eligitur hinc porrò *tempus matutinum*, jejuno corpore & recrementis exuto, per ἀδηλον διαπνοήν, egestionem alvi, urinæ, aliarumque sordium; quod ipsum & aliis medicamentorum usibus velificatur & destinatum est so-

D

lenni

Inter



lenni usu. Quamvis enim & inter prandendum alioqui temperare acidulis vinum quibusdam placeat, vel vespere quoque bibere easdem; minus tamen id ad curam hanc pertinet, sed abnuit potius. Distinctæ sunt & esse debent medicamentorum & alimentorum talium vicissitudines, ne confusio fiat, sed naturæ suus ordo constet illibatus.

Idem & à meridie valet, horâ tertiâ vel quartâ, coctione jam bonam partem peractâ. Solent quidem non pauci contenti esse matutino potu, sufficere illum rati, quod nec nos abnuerimus, si quantitas major paulò assumatur, si alvus sufficienter deponatur, & operatio sic videatur expleta magis, ne ultra *εὐφροσύνην* progrediamur; attamen si contrarium præsto sit, nec insuetum est, nec ineptum, & bis de die repetere idem. Applicari huc potest purgantium usus per *Ἰνδικόν*, infusione noduli factus, & ad hujus modulum res dirigi. Quando enim sedes tunc respondent jam, omittitur repetitus potus pomeridianus, & contra; idem & de acidulis valet, maximè cum ad summum ventum est. Accedit facilior tolerantia, si partiamur sic præbia; quàm largiori oneremus magis corpus quantitate.

Nec Locus intactus relinquendus. Vetus dictum est: dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Si itaque per facultates, per vires, per officii munia, aliaque fieri queat, optimum est seligere fontem, seu propinquiorem, seu commodiorem visum, & illuc concedere. Ipse enim locus aliquid confert ad sanitatem, ipsa conversatio, ipsa ætheris mutatio, imò & animi libertas, otium, & advocatio. O quam amœnum est salientes salutare nymphas; haurire vegetam & spiritibus turgidam suis undam, socios habere ut valetudinis, ita & curæ. Interim tamen nec de nihilo est, asportatâ aliunde aquâ sufficienti quantitate auspicari curam, & profequi: modò munitis subere turceis adferantur ocyus, nocturno magis tempore, quàm



quàm fervidiori peracto itinere, locatis hinc in cellam frigidam vasis, & observatis reliquis.

Sed propinquior jam apparatus visendus est, administrandus prius, quàm bibantur aquæ. Non omnittendæ sunt preces ante omnia, quando & Hippocratis elogio τὸ εὐχεσθαι πρὸς τὸν καὶ λίνην εἰς ἄγαθόν, orare decorum & valdè bonum est. Animus expiandus, tum sacris antidotis, tum moralibus, si quæ abstergenda sit per hæc quoque macula, vel morbum fovens affectus; & corpus præparandum, majori vel minori modulo, pro exigentiâ. Neque jam dicemus de curâ vernali per se, sed saltem hisce sacris debitâ. Purgandum est corpus, à saburrâ cacochymicâ moderato medicamine, ut & viæ sint liberæ, & humores aptati, quo natura actuationi medicamento vacare melius queat.

Non inconsultum hinc est quiescere per diem ab itinere, & levare sic corpus, tum quiete aliquâ, tum digestivis salinis, detergentibus, & purgante potiunculâ, pulvere, pilulis, bolo, pro cujusvis usu & palato præparatum. Imò & venæ sectio certis casibus præmitti potest, si onerosior plethorâ id jusserit, quod ex circumstantiis patere potest; quamvis & medio casu, durante vel confectâ curâ id fieri possit, ubi sæpe defecator & floridior sanguis emicuisse visus fuit.

Sed ἐγχείρησιν ipsam absolvit potatio medica, eaque Galenica, largior paulò, sed prudenter, in quantitate continuâ & discretâ administranda. τὸ πόσον, seu quantum bibendum sit, ordo, gradusque definiunt, cum primis vero εὐφορία.

Consuevere bibi acidulæ non ἀθρόως καὶ βιαίως, confertim & cum impetu, integris congiis, sed ascendendo, persistendo, & descendendo; idque non sine argumentis prægnantibus. Minus enim tuta sunt præsidia, Celsi elogio, quæ subita insuetis. Alterant acidulæ, sed alteratio fit successivè & sensim magis; evacuant eadem, sed per



*ἐπιπέσει*, adeoque dosin non unam expetunt, nec uniformem. Natura non facit saltum, nec ab uno extremo ad aliud itur commodè, nisi per medium. Ventriculus assuefaciendus est, ut ferat, archeus ut exoneret, humores, ut diluantur.

Quod hinc in præbiis & dosibus aliorum medicamentorum assignandis valet, maximè etiam circa acidulas obtinet, dividendo dosin in summam, mediam, & infimam, idque habitâ proportione inter corpus affectum, indigens, utensve, & remedium, cavendo, ne quid nimis. Præstat enim & hîc subsistere infra summam dosin, nec copiâ & multitudine poculorum, vel sedum, quàm tolerantia & *εὐφορία* æstimare vires & speratum effectum, quæ si absit, ut nocere magis, quàm prodesse deprehendantur, satius est desistere penitus. Et variat id quidem omninò, aliis plus, aliis minus exigentibus corporibus; si tamen media quædam proportio assignanda fuerit, non facilè ultra mensuras duas, sive libras octo ascendendum, quin & infra illam quantitatem admetiendæ; utrobique tamen cum aliquâ latitudine.

Solent verò non incommodè ad complendum hunc curationis actum impendi tres aut quatuor hebdomades, & perinde ferè est, sive mane solùm bibantur aquæ, horâ V. VI. VII. sive, ut diximus, repetatur idem à meridie quoque horâ III. vel IV. pomeridianâ. Nulla enim obstat ratio, nisi ventriculus abnuat, & laudata sæpius *εὐφορία*, quin præstare videtur subinde repetere horis accommodis idem, quàm longius differre, vel semel bibendo, largius tamen id facere.

Hunc in finem exempli loco optimè inserviunt, quæ laudatissimi triumviri Ludov. ab Hornick Tr. de acidulis Swabacensibus, Job. Dan. Horstius, Geilfusius, de iisdem, merito legendi & imitandi & quæ alii de Egranis, aliisque scripserunt. Ponamus, juxta hætenus dicta, die primo sumi mane & vesperi duo vitra, secundo tria, & sic porrò, ut die septi-



septimo capiantur octo, quæ mensuras duas contineant circiter. Hinc à die octavo totidem diebus, seu integrâ alterâ hebdomade, velut stationariâ dosi, bibantur eadem. A die autem decimo quinto ad vigesimum primum inclusivè retrogrado modo & ordine quotidie unum imminuatur, donec ultimo tertiæ hebdomadæ die ad duo redeat bibens.

Sin ad integrum mensem exporrigere haustus velimus, eadem proportio, paucis mutatis, haberi potest, & surrogari, quod tamen non facile fieri debet, uti nec ad duas hebdomadas sumptæ æquè sufficiunt. Falluntur etiam, qui, proprio in primis ausu, longius continuant hunc usum, qui malè cedit hinc quoque, indeque tumor pedum, imò & erosio ipsa pulmonum lethalis ex abusu hoc consecuta sunt visa.

Cæterum ut reliqua circa hoc regimen bibendi pertractemus quoque, liceat nobis eadem, quæ in præscribendis formulis medicamentorum aliàs communiter in usu sunt, & huc accommodare ad acidulas.

*Basis* curationis & materia sunt acidulæ, in concreto spectatæ de quibus præmissa sufficiant, neque enim vires hîc repetere opus est. *Juvantia* sunt medicamenta alia, partim aperientia, *communia* & *specificæ*, præcipuè *martialia* omnis generis, *essentia*  $\text{Zis}$   $\text{Fisata}$ , *fermentum*  $\text{Zis}$  *centrale*, *anima*  $\text{Zis}$  *Vigani*, *Ra*  $\text{Zis}$  *belleborata*, *arcantum*  $\text{Fris}$  *liquidum*, & his symbolica, quantum quidem usus permittit, veluti *dirigentia* quædam, seu modificantia effectum. Cavendum enim est, ne urgeamus plus justo ventriculum vel naturam; unde & pauca solum illa nominasse satis sit. Idem intelligendum de *diureticis*, *arcano duplicato*, omnium optimo  $\text{Pro}$  *resoluto*,  $\text{Pro}$  *Glato*, *Ole* *acidularum* proprio, *Ra*  $\text{Fris}$   $\text{Fisata}$ , sibi relictâ, & aromaticâ.

Præ aliis enim se commendant *stimulantia* quæ excretionem acidularum per vias ordinarias promovent, uti seorsim quoque interius lenientia, *cremor* & *crystalli*  $\text{Fris}$



*pilula aloëtica* ꝑ ea, *pil. de gummatis*. seu *splenetica Sylvii*, purgantia leniora alia ex *spec. diagal. pulv. cathol. res. scammi. gialap.* congruâ dosi in bolo vel pilulis data; ne *essentiam & extractum elaterii ipsum, trochisc. albandal & alia* huc referamus, semel iterumque interpolanda, pro indicationum modulo variante.

Dantur verò tum ante acidulas, superbibendas horâ unâ vel alterâ post, quàm seorsim circa cœnam, vel ingressum lecti. Plurimum ad hæc confert motus corporis ipse, moderatus quidem, & ad tolerantiam, citra sudationem, tantò magis commendandus, quod & promoveat operationem, & remedium sit ordinarium vitæ sedentariæ celebratæ. Motus enim & somnus sunt remedia affectus hypochondriaci præcipua.

Faciunt huc & ipsi *Clysteres*, in adsuetis maximè, sive ex ordinariâ eorundem materiâ, sive ex ipsis etiam acidulis injectis, loco alterius liquoris. Ast cum calesceri eas oporteat, hæc quidem viâ concedi tales possunt, per os saltim frigidæ bibi amant. Si tamen fateri volumus, quod res est, minus in usum venit hæctenus hic applicandi modus.

Sed & *Corrigentia* decent acidulas, non unâ de causâ. Frigida mane assumpta eaque largius, ventriculo alioqui præsertim debili, imò & sano facilè faceffunt nau-seam, inflationes, tardantem evaporationem, ne dolores dicam & gravitatem. Consultum hinc est, corrigentia in subsidium vocare stomachica, carminativa, aromatica, simpliciora & composita, quæ calore suo juvant ventriculum, flatus dissipant, egressum & *διαδοχὴν* faciunt.

Speçant huc confecta *sem. anis. fœnic. coriandr. cubeb. condita, ut zingib. in Ind. condit. nux juglans, nux moscb. in Ind. condit. cort. citr. aurant. cond. tragea stomach. Querc. sp. diagalang. arom. ros. dianis. diatr. sand. diarbad. Abb. pro mors. Imper. indeque parati morsuli*; hi enim & portatiles magis, & *ευωοισοί*, & grati optimè huc quadrant. Exempli loco sint seq.

ꝑ. spec.



℞. *spec. diagalang. arom. ros. dianis. a. ʒj.*  
*extr. zedoar. ligni aloes a. ʒʒ. flaved. cort. citr. ʒʒ.*  
*macis, nucis moschat. cinamom. a. ʒij.*  
 ʒʒ *mac. gt. iv. cinam. fœnic. a. gtt. ij.*  
*sacch. in ʒ ros. ʒ anis. q. s. solut.*

M.F.I. a. Morfulis in scat. Stärckende Magen Morfellen.

Tacemus alla, directè magis corrigentia ventriculi  
 cruditates, si iis opus sit; *essent. carminat. piper. elix. pro-*  
*priet. aromat. ess. ʒʒi ʒʒ. essent. cardamom. cinam. &c.*

Omnibus hisce velificatur motus corporis, à potu in-  
 stituendus, eundo, vehendo, equitando, pro commodi-  
 tate & conditione utentis, distributionem omni modo  
 promovens.

Tacemus, quæ de usu externo addi possunt, præter  
 jam dicta, quoad balneum inprimis. Ut enim thermæ  
 pro hoc usu magis quadrent: in defectu tamen eorum et-  
 iam acidularum usus aliquando substitui consuevit; po-  
 tissimum in artuum debilitate, tremore, contracturâ, a-  
 liisque infirmitatibus à morbis solutæ unitatis progenitis,  
 in tumoribus præterea duris, scirrhis, aut aliis subcu-  
 taneis vitiis, ubi insignem præstant usum, & vel potu so-  
 lum, vel etiam balneo simul, alternis diebus, pro re natâ, in  
 usum vocantur.

Ipsa etiam oris collutio, non solum ad sorditiem  
 dentium, sed & laxitatem auferendam pertinet; nec ipsa  
 quoque gargarisatio prætermittenda. Nonnullis seorsim,  
 ut alvus sui sic moneatur officii, placet & clyster ex  
 hisce aquis confectus, in subsistentiâ & collectione  
 aquarum adhibendus. De lutatione si aliquid dicendum  
 est, id saltim sufficere potest, quod lutum illud, in fundo  
 & lateribus fontium collectum, pro majori robore parti-  
 bus conciliando, calefactum imponatur, & emplastra quo-  
 que ingredi possit. De cæteris consuli possunt thermarum  
 & fontium scriptores. Potissimum verò de acidularum  
 hoc usu externo dignissima lectu est Dissertatio Cele-  
 berrimi Viri D. *Elia Rudolphi Camerarii.* DIÆTÆ



DIÆTÆ autem ipsius regimen reliquum absolvit momentum. Hinc AER eligendus serenus, temperatus, calidus tamen magis, quam frigidus, expers pluviarum, nebularum, ventorum. CIBVS sit *εὐπεπτός*, boni succi, ex ovis sorbilibus, jusculis avenaceis, carnibus pullorum gallinaceorum, vitulinis, vervecinis junioribus, caprearum, cervinis, leporinis, piscibus saxatilibus & fluviatilibus, cancris, aliisque assis & elixis. Absint duræ, falsæ, infumatae aliaque crudioris alimenti carnes, coctuque difficiles. Vitentur poma & fructus æstivi, fermentifici, crudum magis chylum gignentis. Nec indulgendum genio, ultra quam appetitus urget; neque tamen frustra quid denegandum appetenti ventriculo. Cœna præ prandio ferè largior conceditur.

POTVS sit cerevisia benè cocta & defecata, vinum item Franconicum, Rhenanum, & Mosellanum, aliaque bonæ notæ; merum illud quidem tunc temporis, cum satis aquæ hauriatur jam, nisi libuerit etiam acidularum accessione temperare.

SOMNVS ultra septem vel octo horas non protrahendus. Vt enim sic continuatus corpus magis lassat, & ad defluxiones, humorumque intemperiem ansam dat: ita moderatus robur addit, & concoctioni multum tribuit. Meridianus & hîc locum tenet aliquando in debilioribus & assuetis, aut sicciori temperamento præditis, aliàs consultius intermittendus. VIGILIÆ non producendæ longius in noctem. QUIES & vita sedentaria vitanda, nec MOTVS tamen excedat moderamen debitum, ne inordinata citetur excretio, nec debita impediatur. Quod si motus obiri minus queat, defectum hunc frictiones aptæ refarcire valent.

Hinc & EXCRETORVM proba habenda ratio, quò omnia fiant ad ductum naturæ, cui, si opus, aptis auxiliis subveniendum. Alvus ergò sit aperta & laxa quotidie, ante potationem commodè levanda. VENVS acidularum usui minus



minus favet. EX ANIMI AFFECTIBVS ira, mœror, tristitia, metus ad Garamantas relegentur; contra ea *euSopia* & hîc optima, mirum quantum juvans operationem expectitam.

Quod si symptomata quædam emergant, non tacta à nobis, præstat & illis maturè medici consilio obviam ire, prius, quàm altas agant radices.

## CAPUT IV.

DE

### *Acidulis Bibranis.*

**V**T pluribus Germaniæ locis velut è divite cornu profluunt acidulæ, mirando scaturiginis & virtutum æquilibrium perdurante, ita nec Thuringia nostra expers est hujus benefici stigmatis. Ne de aliis dicamus, aperuit à benè multis retrò annis divina gratia in vicino oppidulo Bibra ad præfecturam Eckardsbergensem pertinentem, fontis acidi scaturiginem, magno cum impetu proflientem. Parum hunc curavit primitus incolarum cohors, dum ejus usus à quoquam vix admittebatur, idque propterea ferè, quod alieni saporis & cuprei quasi videretur, unde & *der Kupffer Born* audiebat.

Ante hos verò duodecim circiter annos sensim sensimque ejus increbuit fama. Cum enim, divini Numinis gratiâ, ab ejus usu appetitus dejecti, stomachique naufragantis sentirent solamen, qui experimentum bibendi fecerunt, incolæ, melius de eo ferre judicium cœpere, majori indies ducti fiduciâ & pluribus factis experimentis. Nomen hinc aliud meruit, ut diceretur *der Hunger Brunn* / cum, viribus inclarescentibus & famâ auctâ, usu crebriori deprehensus esset appetitum apprimè roborare. Imò & aliis variis morbis opem tulit, accitis undique ejus nobilitate egentibus.

E

Rebus



Rebus ita se habentibus & exploratis dignatus locum est ipse Serenissimus Princeps ac Dominus, Dn. JOHANNES ADOLPHVS, Dux Saxonix, Julix, Clivix, Montium, Angariæ & Westphaliæ &c. &c. Princeps ac Dominus noster Clementissimus, non semel gratiosissimâ suâ præsentia, & subditorum suorum non minus salutis, quàm aliorum intentus, tum frequentissimis experimentis Excellentissimi Archiatri D. *Johannis Siboldi*, tum aliorum permotus consilio, eundem fontem muro cingi jussit, quo huc appellentes peregrini, puriori & ab adulterinis sequestrato latice medico frui, amœniorisque loci situ animi demulceri queant.

Agri quippe illius tanta est suavitas, ut quoquo versus mentis pariter ac corporis conjicias oculos, naturæ benignitatem nullibi deprehendas denegatam, vales hic subsident amœnissimi, illic in montes exurgunt colles herbis comati saluberrimis, septique arboribus fecundis, suavissimis prata rident floribus, largâ messe luxuriant segetes, cunctaque fructuum ubertate læti conspiciuntur horti, ut nullibi non animorum delectamenta certatim compareant.

Erumpit hic fons ad montis radices in horto cujusdam incolæ dicti oppiduli, ubi mirifico naturæ artificio è saxo scaturit, & in præterlabentem rivum se exonerat. Oppidanis hodiè pro potu ordinariè inservit, & varium ad usum adhibetur, ut paucissimos hinc quoque morbos ibidem grassantes videas, in primis febres raræ ibi visuntur, neque obstructionum labe afficiuntur corpora, ut de aliis nihil dicam.

Constitit enim in hunc diem insignis ejus usus, ut etiam morbi gravissimi & pro incurabilibus habiti ab usu & potu evanuerint, cujus rei plura exempla ex relatione accolarum hausimus, & ipsorum quoque claudorum, contractorumque, & non nisi fulcris incedentium, qui omnium cum admiratione ex solo potu & balneo

neo



neo brevi convaluerunt, atque sano rectoque corpore fulcimentis relictis abierunt. Unde & factum est, ut dicatur quoque non paucis *der Wunder, Brunn.*

Epilepticos præterea varios huc convocavit necessitas, ut de melancholicis, maniacis, & hypochondriacis nihil dicam. Unicum tamen exemplum, quod cum pluribus aliis elapsâ ætate notavimus, addi meretur. Generosa virgo, cum quartanâ non exiguo tempore conflictata, reportaverat scirrhum lienis. Pro desperatâ ferè habita à medicis, uti sanè id malum est gravissimum, huc suasu alterius lata post aliquot hebdomadam usum internum & externum optimè habens ad suos tediit.

Is verò meritò nominandus est, jam laudatus *D. Siboldus*, cujus non solum elegans epistola de hoc fonte Panegyri de fontibus soteriis Pl. Reverendi & Amplissimi *Job. Georgii Layrizii pag. 47.* annexa extat lectu dignissima, sed & experimenta insignissima plura expectantur, inprimis, post, quam præterito mense Augusto Serenissimus Princeps ac Dominus hunc fontem suum augustum revifere dignatus, accedentibus aliorum medicorum votis, (duos enim cum eodem in examen hoc convocari clementissimè & adesse simul mandaverat,) ad hoc se obstrinxit.

Nec alii nobiscum deerunt, fontis hujus præcones, & patroni. Enimverò & vicinia ipsa invitât ad acidulas has, temperatas præ aliis, ne aliunde hauriamus, quod domi est, & earundem bonitas. Nulla timenda est inde noxa, usus verò maximus, remedium utpote sunt citum, tutum & jucundum. Præditæ sunt & illæ elementis communibus & dotibus expositis, quæ hîc repetere latius non attinet. Et sensus enim, & ratio, & experimenta confirmant vitriolicam & nitrosam profapiam, quibus reliqua omnia complectimur. Martem autem inprimis eminare, & natura loci, quatenus tam lapides martis minerâ referti ubique dispersi jacent & eruuntur, tam fontis ipsius



origini præsens lutum, croco martis in omnibus simile apparet, quàm etiam natura & effectus aquæ ipsius indicant, cum martialium more viscera obstructa referet, absorbeat acidum, tonum restituat, depleat, exoneret & alteret lympham, expediat glandulas, ejus cataraçtas, cribra & scaturigines, roboret fibrillas, expurget alveos, diluat & corrigat totam massam sanguineam. De auri verò ramentis vel mineris nihil addimus, quamvis adesse, virgulæ mercurialis indicio, aliqui velint; sufficit mars sulphure suo amicabili, &, quod mirum quasi experimentis novis occurrit, si non multiplicabili, saltim diffusissimo.

Hinc operæ pretium est, ut speciatim, quid præstent, pateat, & cum indies magis celebrentur, saltim quantum constat hic reponimus: scilicet habere virtutem, ut id repetamus, refrigerandi, siccandi, aperienti, abstergendi, sudorem & urinam movendi. Vnde febrium refrænant æstus, intemperata aut obstructa ventris infimi corrigunt viscera, indeque morbosos resultantes auferunt effectus, prospiciunt hepatis, lieni, mesenterio, suppressos ducunt menses, urinæ tartareas ac sabulosas movent remoras, solantur hypochondriacos. Bibi hinc possunt iisdem cum cautelis & modulis ac acidulæ aliæ, & omnia huc applicari dicta superius. Seorsim & cum herbâ Thee decoctæ profuisse observatæ sunt, ab hoc vehiculo viribus magis adjutis.

Imò & exterius dolores sedant, tumores discutunt duros, articulos solantur affectos, ut de putrilagine dentium & carie, pruritu, scabie, ulceribusque scorbuticis aliisque defædationibus & forditie taceamus. Summo itaque laudis honore dignæ & ad divini nominis gloriam concelebrandæ, medicisque commendandæ, ut cordi eas habeant, & in usum debitum vocent.

**SOLI ET TRIVNI DEO GLORIA!**



Per - Eximio

# Dn. Autori Respondenti

S. P. D.

## PRÆSES.



Ontibus artis nostræ genuinis imbutus, in Athenæo hoc cum fructu exactis annis pluribus, non melius specimen eligere poteras, quam de fontibus acidis.

Spirant aliquid divini fontes, perenni motu perpetuum mobile, symbolum æternitatis offerentes. Et Tuus hic conatus non sine felicibus auspiciis processit. Dicam, quod res est, non sine dextro omine consensere omnia.

Desideraveras ad Disputatorium exercitium à me materiam. Forte fortuna, seu jussu potius Serenissimi Principis ac Domini, Dn. JOHANNIS ADOLFFI, Domini nostri Clementissimi, in viseram fontem Bibranum, cum Archiatris celeberrimis *D. Sieboldo* & *D. Ottone*, nostrique communi consultatione facta.

Placuit fons optimus & saluberrimus, placuit materia Disquisitionis. Ecce, proposituram hanc ipsam, non aliam adis, de acidulis proponis thema idem, eodem animo & studio. Adivisti fontem, ut nosceres, examinasti & confirmatus laudabile impendisti studium,

Quid multa, probasti & mihi, & commilitonibus profectus Tuos laudatissimos. Probabis, volente Deo, & aliis summis, medioximis, imis. Ego vero ut optima quæque de Te auguror, ita id levidensi hoc voto publicitus asserere & confirmare volui.

Benedicat porrò studiis Tuis supremum numen, & largiatur Patronos gratiosos, qui illa promoveant ulterius. Vale!  
Dab. è museo Jenæ 1695. d. 11. Januar.

E 3

MEO



MEO PRIVIGNO,  
Friderico Wilhelmo de Rhoda,  
Studioſo Medicinæ per quadiennium inde-  
ſeſſo, naturalis ad inſtar mihi  
DILECTO,  
S.

**T**alentum Te tibi concreditum terræ nequaquam man-  
daſſe, ſatis teſtantur hæ pagellæ:

*Porro cura fiet, decus perenne*

*Inſignemque Tibi parare laudem:*

*Sic ſtirpe dignum ſplendidâ tolles caput.*

EUGE BONUM FACTUM!

Apprecor ab omnium bonorum datore Deo O. M. Tibi bene  
progrediendi promittitudinem, habendi perpetuitatem, valen-  
di prosperitatem, agendi felicitatem. Dabam in Zwickavia,  
Annô 1695, Menſe Januar.

David Valther, D.

Archiater Berutho-Brandenb.

---

Hic Rhodus hic ſaltus!

**H**ier Rhodus/ hier der Sprung! ſo hieß es ſchon  
vor Zeiten;

Doch gleiches ruft mir izt die Meditrine zu;

Denn Rhodus iſt und heißt/ mein Wertheſter/ wie du/

Und hier reiſt Dich ein Sprung aus niedern Dunkel-  
heiten.

So



So ist die Sterblichkeit bleibt die gemeine Last/  
Die auch den besten Geist befesselt niederziehet;  
Man ist von Jugend an auff leichte Spreu bemühet/  
Denn unsrer Seelen Haus verführet auch seinen Gast.  
Dich aber hat ein Trieb des Himmels auffgezogen/  
Dir hat Natur und Fleiß die Flügel angelegt/  
So daß/ da sich der Fuß je mehr und mehr geregt/  
Dein glücklicher Verstand dem schwehren Bley entfliegen.  
Der Theure Bedel weiß/ der dich und mich gelehrt/  
Wie sich dein frommer Sinn der Tugend angenommen/  
men/

Er weiß daß du fast nie von seinem Munde kommen/  
Wenn er die junge Brust mit klugen Thau genehret.  
So bistu/ Ringern gleich/ dem niedern Sitz entsprungen/  
Worauff ein Laster-Knecht als in dem Stocke liegt.  
Du hast den Unverstand durch Gott und Tag besiegt/  
Und bist zum Heiligthum Hygienen eingedrungen.  
Hier Rhodus / hier der Sprung! So rufft Salinen  
Ehor/

Indem ein kluges Blat den Lehrstuhl ausgezieret;  
Es ist nicht rühmens noch/ wie du dich auffgeföhret/  
Genug der wahre Spruch zieht dich den meisten vor.  
Wohlan/ folgt Sprung auff Sprung/ wie Preys auff  
Fleiß bekronet/

So legt man deinem Fuß bald neue Flügel an;  
So steigt dein edles Lob bald nach Arcturus Bahn/  
Allwo der Tugend Gold des Neides beiffern höhnet.

Wohl



QK  
Tu  
379

Wohlan/ thut meine Pflicht der Redligkeit genug/  
So soll der kurze Wunsch die lange Pflicht erklären:  
Der Hümel helffe bald zum hohen Doctor-Ehren/  
Dann schreyt mein ganzer Geist ; Hier Rhodus/  
hier der Sprung.

So solte Herrn Rhoden/ als seinem aufrichtigsten und  
liebwehrtten Freunde herzlichst Glück wünschen

Joh. Christoph. Wenzel/  
Phil. & Med. D.

**Madrigal.**

**S**chwerther Freund/ den bisz daher die Tugend  
Als Edles Kind geliebt/  
Die Welt erblickt/ was dir Hygine giebt/  
Und preist die mündre Tugend.  
Warumb? Du krönest ja  
Des Vatern Nach-Ruhm in der Erden.  
Wohlan/ der Tugend Ehren-Preis  
Wird durch den Fleiß  
Dir noch zum Lohne werden ;  
Man hört bereits viel Stimmen schallen:  
Die Tugend läßt nicht fallen.

Also wolte seine ungeheuchelte Liebe und  
beständige Freundschaft Glückwün-  
schend zu erkennen geben

Gabriel Schumann/  
S. Theol. Stud.

•• [ 0 ] ••

WAA

21. 5













Pl. Rh. VI, 32.

DISSE

AC

GEOR

GAM

Med. Docto

Consiliario & A

Patrono, I

debito bo

Ad

FRIDERIC

II m  
379

DI

IS,

LFF.

Comite,

Theoretices

ore suo

do,

HODA,

